



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Præposito Et Fratribvs Montis Iouis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ponit sufficienter adicere ad mensam futuri Episcopi deputatis, illic Canonicos alterius monasterij transferat, cum ibi fuerit Ecclesia cathedralis, facultatibus quas nunc possident ad eorum sustentationem integre conservatis. Causas autem hujus sui propositi allegabat, zelum religionis, quam in altero predictorum monasteriorum assererat penitus dissolutam, & utilitatis evidentiam, quae in partibus illis hiemali maxime tempore impeditur. Cum enim ejus provincia sit longe lateque diffusa, frequenter iis quae limam correctionis exposcunt visitationis & reformationis officium nequit impendere competenter, cum propter hiemalis asperitatis obstaculum & propter annonae defectum locum ipsum multotiens adire non possit & ibidem prout utilitas exigit immorari. Ne igitur locus praedictus visitationis officio & sacramentis ecclesiasticis per Episcopum conferendis plus debito defraudetur, idem Archiepiscopus supplicavit ut ejus propositi dignemur favoris apostolici praesidium impertiri. Quia vero in talibus sine deliberatione provida procedere non debemus, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus inquiratis sollicitè veritatem de lapsu monasterij supradicti, & utrum ordo monialium ibi valeat reformari, & si moniales aliquas defensionis ostendant, quantumque ad opus episcopalis mensae bonis ejusdem monasterij de suis facultatibus velit adicere Archiepiscopus memoratus, & si Canonici supradicti negotio isti suum impertiantur assensum, & si non, quam causam contradictionis allegent, qualem & quantam partem de dioecesi sua conferre disponat ad episcopalem dioecesim faciendam, si expressus consensus Capituli Salzeburgensis cum voluntate Archiepiscopi conveniat in hoc facto, & si etiam in electione futuri Episcopi sibi velit Archiepiscopus jus aliquod vindicare, privilegia quoque utriusque monasterij transcribi fideliter faciatis, super iis & aliis circumstantiis quod inveneritis nobis prudenter & veraciter rescribentes, ut super hoc prout expedire viderimus procedamus. Tu denique fili Abbas &c. Datum Laterani xii. Kal. Julij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

Vide lib. 15. **PRÆPOSITO ET FRATRIBVS**
epist. 105. *Montis Iovis.*

Epist. 67.
Confirmatur
eis domus Val-
dis Suisionis.

Ortam dudum inter vos ex parte una & Abbatem & conventum sancti Secani Lingonenensis dioecesis super domo Val-

dis Suisionis ex altera questionem venerabili fratri nostro Senonensi Archiepiscopo duximus committendam. Cum igitur idem causam remisisset ad nos sufficienter instructam, te, fili Praeposite, ac procuratore partis alterius propter hoc in nostra praesentia constitutus, eandem examinavimus diligenter, & tam actis coram dicto Archiepiscopo quam iis quae coram nobis fuerit proposita plenius intellectis, de fratrum nostrorum consilio domum vobis sententialiter adjudicavimus supradictam. Nulli ergo &c. diffinitionis &c. usque incursum. Datum Laterani xii. Kal. Julij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

PRÆPOSITO ET CAPITULO
Gurcensibus.

Cum à nobis petitur &c. usque perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filij &c. usque assensu, concambium inter vos ex parte una & bonae memoriae Romanum Gurcensem Episcopum & nobilem virum Poponem de Waldethe ex altera super quodam castro & rebus alijs celebratum, prout continetur in authentico scripto ejusdem Episcopi figilli munimine roborato, cujus tenorem de verbo ad verbum praesentibus iussimus litteris annotari, auctoritate apostolica confirmamus & praesentis scripti patrocinio communitus. Tenor autem scripti praedicti talis existit. **I**N N O M I N E sanctae & individuae trinitatis. Amen. Ego Romanus sanctae Gurcensis Ecclesiae humilis Episcopus, humana pia facta conditionis, dum incertis casibus rapiantur, ne cum obeuntibus pereant, scriptis dignè annotantur. Vnde omni aeo notum esse cupimus qualiter fratres nostri praefatae Ecclesiae Canonici super Popone de Waldethe ministeriali Ecclesiae ob damnosam violentiam quam ipsis in bonis eorum praefato castro adjacentibus, sicut & nobis in nostris intulit, flebilem querimoniam multotiens nobis deferentes, aliquod pacis suffragium sibi disponi rogaverunt. Nos vero tamquam pastor ovium & qualiscunque dispensator, ab incursu tali obsecrando, increpando, arguendo, ipsum Poponem mitigavimus, donec tandem conscientia delicti sui compunctus, ipsum castrum cum bonis adjacentibus in aliquod placabile concambium se daturum eis asseruit. Hoc audito, fratres praefati tali consilio cum illo coram nobis sunt coadunati, ut quodeunque de commutatione utrorumlibet disponeremus, utraque pars consentiret. Hoc utrinque confirma-

Epist. 68.
Confirmatur
quandam per-
mutationem.

FFFFF iij